
Daniel Rantzow


Rostochii 1590.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 371 [45,-194 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 371 [45,-194 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 371 [45,-194 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 371 [45,-194 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 371 [45,-194 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 371 [45,-194 4°]

206

ELEGIA IN OBITVM NOBILISSIMO GENERE, VIRTVTVM ET DOctrinæ inſignibus præſtantis, iuuenis DANIELIS RANZOVII, PETRI RANZOVII, Domini in Troiburg & Arnsburg, Præfecti Flensburgenſis, & Conſiliarij REGIS DANIÆ, FILII, ad eiuſdem Patrem ſcripta

à

PETRO BRVDERO Holſato.

ROSTOCHII,
Ex Typographia Auguſtini Ferberi filij
ANNO M. D XC.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 371 [45,-194 4°]

Ergo ſat eſt querulos imitari in funere cygnos
Carmine, & imparibus claudere verba modis.
Poſtquam dempta meæ pars eſt gratiſsima vitæ,
Qua ſine non totus pòſt ſupereſſe queo.
Eheu, RanZouiæ ſtirpis flos optimus, eheu,
Præcoce ſiccatam vertice quaſsit humum.
Occidit, & deſyderium lugubre reliquit,
In quo ſpes generis ſola repoſta, patri.
Haud ſecùs agricolæ votum deluſit agellus,
Cuius ſperabat fertilitate frui.
Omnia fatalem ſubeunt mortalia gyrum,
Qui rapit in ſubitas obuia cuncta vices.
Secula non ſimilem ſeruant ſpacioſa tenorem,
Nec breuis eſt vnum quæ videt hora ſtatum.
Ligna putrent carie, ferrum rubigine, quid non
Omniuoro omniuorum tempore tempus edit?
Imminet humanæ malum ineuitabile genti
Mors dictum morſu quod genus omne petat.
Scilicet hoc poſtquam ſuperas euaſit ad auras
Monſtrum horrendum ingens ex tenebris erebi.
In pecudes hominesq; ruit, ferroq; quod vſquam eſt
Æquat, & æquatum ter pede pulſat agrum.

Illius

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 371 [45,-194 4°]

Illius ad dextram coguntur ducere iuncti
    Doctus & indoctus, diues inopsq́ue, choros.
Parcere nec pueris ſcit, nec iuuenilibus annis:
    Hei mihi quam cæco lumine bella gerit.
Optima quæq́ue rapit, viridiq́ue extinguit in æuo,
    Seruat & ad multos deteriora dies.
Sic quoque te DANIEL mors abſtulit inuida terris,
    Nempè videns magnum te fore fortè virum.
Falſa nec omnino fuit omine, nullus enim te
    Maior RanZouia ſtirpe oriundus erat.
Dia ſub auguſto virtus tibi pectore ſedem
    Fecerat, è vultu promicuitq́ue tuo.
Nemo tibi (quis enim neget hoc) pietate ſecundus,
    Si pietas ſummum eſt excoluiſſe DEVM.
Iuſticiæ præclarus eras excultor & æqui,
    Illius vt ſtudijs ſit tibi partus honos.
Ætatemq́ue tuam rerum experientia vicit,
    Indice quam muti te docuêre ſenes.
Namq́ue puer primam coluiſti ſedulus artem
    Quæ linguam & mores non ſinit eſſe rudes.
Pòſt non parua fuit iuueni tibi quærere cura
    Ingenij varias nobilioris opes.
Tamq́ue fuêre probè leges & cognita iura
    Vt dignus dici Papinianus eras.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 371 [45,-194 4°]

Huic etenim ſtudio tres ſudaſti impiger annos
Vnde eius ratio nominis apta tibi eſt.
Interea Roſei te vidi in littore Varni
Aönio ſiccam fonte leuare ſitim.
Lipſiacusq; tuos vultus miratus Elyſter
De te neſcio quæ murmura blanda tulit.
Tum quoq; præcelſis luſtraſti turribus vrbem
Nomina cui argenti plena fodina dedit.
Addam, quodq́; ſuis Italus te viderit oris
Hîc vbi Patauium tollit ad aſtra caput.
Illic fata, DEO ſic concedente, ſubiſti:
Heu nimium noſtris terra inimica bonis.
Poſtmodò te patrias aduexit funus ad oras
Ipſe parens, vero qui flagrat igne tui.
Vt tantum ſolitos vultus agnoſceret in te,
Exul & ignota non tegerêris humo.
O pietas memoranda patris: qui in funera prolis
Sumptibus haud paucis officioſus erat.
Aſt quò cara magis bona ſunt amiſſa parenti,
Triſtior hoc nobis ille putandus erit:
Ille putandus erit, ſed enim quia cedere fatis
Cogitur, hac curam ſoluere parte iuuat.
Quis parere DEO poſcenti iuſta recuſet?
Decidit ad nutus floſculus ille DEI.

Nam

Nam veluti tenero flores legit vngue puella
Quam priùs à Borea diſcutiantur humo.
Sic quoſcunq́; fouet DEVS immortalis amore
Iàm iàm venturis eripit orbe malis.
Nunc igitur ſuper aſtra, pios interq; locatus,
Antè putabatur qui periiſſe, ſedet.
Tanta nec illius cœleſtia gaudia vitæ
Inuideat quiſquam, ſit niſi mente niger.
Si quem exempla trahunt communem exquirito ſortē,
Qua ſatus humano ſemine quiſquis obit.
Inſita naturæ, vita ſemel eſſe ſolutum,
Lex iubet, ac placidæ ſuccubuiſſe neci.
Perſicus innumero iacet hinc cum milite Xerxes,
Et quos præterea ſecla tulêre duces.
Adde quod occubuit, gaza licet vbere, Cræſus
Et ſibi qui fecit noxia vota, Mydas.
Deniq; ſi iuſta numeremus commoda lance
Et necis & vitæ, mors potiora feret.
Hanc fortunæ etenim telum vndiq; & vndiq́; telum
Cingit, vt à dubiis ſit malè tuta minis.
Vnâ ter centum parte eſt obnoxia morbis,
Illud habent vario nomine damna latus.
Suggerit at placidam membris mors alma quietem,
Et tuta miſeros in ſtatione locat.

Cœleſtesq́ animas terrena fæce grauatas
Liberat, vt faciles dentur ad aſtra viæ.
Sed tibi non tantis opus eſt ſolatia rebus
Addere, Ranzouiæ, PETRE, columna domus.
Tu ſiquidem longo ſolus fugis interuallo,
Quæ pietas alios cuncta monere iubet.
Hæc etenim ſummis virtutibus indita vis eſt,
Vt ſubeant nullo, quæ ſubeunda, duce.
Te facit inſignem (fateor) reſpectus honeſti,
Quoq́ tibi Muſæ condecorantur, honos.
Quod ſi forſan adhuc triſtis tua tempora luctus
Perdit, & in mœſto pectore cura ſedet.
Condita quæ quondam, rerum monumenta reuoluam:
Hæc quoq́ mærorem, quæ moderentur, habent.
Magnus Anaxagoras, cum nuncia fama tuliſſet,
Prolem eius ſubita morte periſſe, refert.
Non tenuit rudis antè meam ignorantia mentem,
Quod mihi mortali ſemine nata fuit.
Hæc eadem, Telamone ſatus cum pectora ferro
Foderat, à proprio dicta parente, ferunt.
Clarus Athenarum dux oratorq́ Pericles,
Progenie eximia factus vt orbus erat.
Non minus aſſueto, redimitus tempora, vultu
Expoſuit populo verba diſerta ſuo.

Hoc

Hoc etiam à docto fertur Demoſthene factum
Rhetor Cecropia qui grauis vrbe fuit.
Si Romana capit duris exercita rebus
Gloria te, exemplum quod iuuet, inde petas.
Maximus occurrat, qui pondera nominis æquans
Maximus ex Fabio ſanguine cretus erat.
Hic poſtquam vitæ decus, & decora altera nati
Amiſiſſet, erat quæ comitatus honos.
Mox conſul populi ſe circumſtante corona
Ornauit geniti funera laude ſui.
Martius occurrat vero cognomine Regis:
Eſt aliquid motus pectore poſſe regi.
Huic nece cum nati generis ſpes dempta fuiſſet,
Non tamen ægrota mente necem ille tulit.
Aſt intrata ſibi eſt à buſto curia, patrum
Cogeret vt cœtus iuraq́ſ ſacra daret.
Aſpice magnanimum dura ſub ſorte Catonem,
Hic tibi præ reliquis omnibus vnus erit.
Publica ſunt illi mandata negotia curæ,
Sit liceat natus morte peremptus heri.
Cumq́ſ igitur cunctis præſtes virtutibus iſtis,
Iudicio, eloquij dexteritate, fide.
Non illis minor eſto, dolor qua parte leuandus,
Quoq́ſ ſit ex animo cura fuganda modo.

Vtq́ſ

Vtq; illi, ſi quando grauis fortuna tuliſſet,
Cladem ſunt ſoliti vincere, vince tuam.
Adde, quod hos natura parens, te ſcripta docebunt
Sacra, vel immenſis geſta prophana libris.
Plura quid enitar tibi non ignota referre
PETRE vir Aonio non minor ipſe grege.
Ergo vale, Cœlumq; tuo ne detrahe nato,
Donec erit ſupero limine iuncta domus.

FINIS.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 371 [45,-194 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 371 [45,-194 4°]